



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulvm XXIX. Cùm contingat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

2. *Quomodo, quæ dicuntur cap. hoc, non contradicant cap. Non est 22. h. t.*

**N**otandum primò. Satis intelligi posse hoc cap. ex illis, quæ supra dicta sunt in *cap. ex transmissa 23. h. t. & in cap. non est 22. h. t.* assignat tamen *Glossa hic* rationem, quare aliter de prædialibus statuerint jura, aliter de personalibus, quòd scilicet in prædialibus potissimum laboret manus Dei, ut ait *Glossa v. deducendas*, fructus producat, & consequenter rectè sibi vendicet, de omnibus his fructibus supremum suum dominium recognosci: in personalibus verò multùm operetur industria, & manus humana, suæ artis lucrum faciens, & consequenter de lucro factò, divinæ benignitati obligatus est aliquis. Vide etiam rationem apud dictam *Glossam*.

2. Notandum tamen secundò. Hujus cap. decisionem non contradicere *cap. Non est 22. h. t.* ubi dicitur, *de vino, grano, fructibus, negotiatione, militia, venatione &c. dandas decimas*, & postea subjungitur, *persolvendas illas cum integritate debita Ecclesijs, antequam deducantur ulla expensa*: ex quibus verbis, videtur colligi posse, contra decisionem *cap. hujus 28.* quòd nec de personalibus decimis solvendæ sint, deductis expensis, decimæ. Respondent enim communiter DD. quæ dicuntur in *cap. relato non est*, intelligi debere de prædialibus decimis, non autem personalibus, ita ut verba accommodanda sint, prout subjecta materia vult, & capax est, ne absurdum aliquid contra clarum textum *cap. pastoralis*, & contra alia Capitula, ubi de lucro tantùm decimæ personales persolvendæ statuuntur, inferatur.

## CAPITVLVM XXIX.

## Cùm contingat.

## PARAPHRASIS.

Ecclesiæ aliqua, aut personæ Ecclesiasticæ, in parochijs quibusdam antiquas decimas nonnunquam percipiunt, quæ ex legiti-

mo titulo ad illas devenerunt: dubitatur ergò, & ex Pontifice querebatur, si in loco tali Novalia fiant, an etiam Novalium horum decimæ ad decimatores antiquarum decimarum pertineant; cui dubio responderet hic Papa. Novalium decimas, ad Ecclesiam parochialem pertinere, nisi qui antiquas decimas hæc decimas perceperunt, rationabilem causam ostendant, quòd etiam Novalium decimæ ad se pertineant.

## SUMMARIUM.

*Non sufficit ad decimas Novalium in aliquo loco percipiendas, antiquarum decimarum percipiendarum jus subiri ex præscriptione, legitima infestatione, transactione, aut vi privilegii indefinite concessi; nisi expressa mentio Novalium fuit, aut ratio rationabilis subsit.*

**N**otandum. Talem causam rationabilem non esse, quòd vi præscriptionis, legitimæ infestationis, transactionis, vel etiam vi privilegii generaliter indefinite concessi, antiquas decimas percipiat; neque enim legitima infestatione, transactio, aut privilegium tale ad ea extendunt, quæ concessionis tempore, aut tempore transactionis, nondum fuerant: expressa etiam Novalium mentio fiet, quæ in casu causa rationabilis adesse existimatur (iam Novalium decimas) multò minus præscriptio dat eis Novalium decimas, quantum antiquæ legitimo modo præscriptæ fuerint, tum quòd communi sententia Canoniorum illud tantùm præscriptione obtinere possit, quòd possidetur, Novalium autem decimæ, cum non essent eo tempore, quo antiquæ præscribentur, & consequenter possiderentur, vi præscriptionis factæ obtineri non possunt; tum quòd tales decimæ, quibus jus decimarum in alios transfertur, quàm Ecclesias parochiales proprias, etiam sint, & consequenter restringendi juxta *regulam juris 1. in 6.*